


Kern 252 (1-14)



4

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**INDICATIONE VITALI
GENERATIM.**

QVAM CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

PRORECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORD.

FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO,
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO
PRACTICO CONSTITVTO

PRO

GRADV DOCTORIS

SOLEMNITER CONSEQUENDO

DIE XXIII. APRILIS CICIO CCLXX.

H. L. Q. C.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

IOANNES RVDOLPHVS DEIMANN

FRISO - ORIENTALIS.

HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY

OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY



V I R O
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
D O M I N O
D. PHILIPPO ADOLPHO
BOEHMERO,

MEDICINAE, CHIRVRGIAE ATQVE ANATOMIAE
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,
FACVLTATIS MED. SENIORI, ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
ACADEM. CAES. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOLIT.

NEC NON
RÉGIARVM BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI

PATRONO OPTIMO
ATQVE
PRAECEPTORI SVO PRAESTANTISSIMO
AETERNM MAXIMOPERE COLENDO



E T
VIRO VENERABILI ATQVE DOCTISSIMO
IOANNI DIETERICO DEIMANNO,
ECCLESIAE LVTHERANAЕ, QVAE TRAIECTI AD RHENVM FLORET,
PASTORI PLVRIMVM REVERENDO ATQVE VIGILANTISSIMO

FRATRI SVO

EX OMNI ANIMO DILECTISSIMO

HANC
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM,


IN PVBLICVM PIETATIS,

OBSERVANTIAE ET GRATISSIMAE MENTIS TESTIMONIVM;

SACRAM ESSE CVPIT

IOANN. RVDOLPHVS DEIMANN.





DISSERTATIO IN AVGVRALIS
MEDICA
DE
INDICATIONE VITALI
GENERATIM.



§. I.

Vita humana non iniuste a Medicis summum aestimatur hominis bonum. Quamuis enim, si aequa mentis lance rem trutinari velis, longe excellenter dentur, quae humanitati relicta sunt; at tamen, cum Medicina corpus solum humanum respiciat, cuius perfectio, destructa vita, perit: Medicus, quidquid etiam ea de re statuant discrepantes Philosophorum scholae, suo quasi iure reliqua vel negligit, vel vita, quam viuimus, iudicat

cat inferiora. Quo quidem posito consequitur, indicationem, quae ad conseruandam in morbis vitam spectat, summae & utilitatis esse, & dignitatis. Volupte idcirco mihi visum est, in eum therapiae generalis locum, qui de indicatione vitali agit, commentari. Tria vero exponenda veniunt, tot sectionibus absoluenda: vita *primo* humana, in se considerata; morbi *dein*, quibuscum vitae periculum coniunctum est; indicatio *denuo* vitalis cum indicatis.

SECTIO PRIMA DE VITA HOMINIS GENERATIM.

§. II.

Non is certe sum, qui insolitum quorundam atque venum definiendi pruritum laudem, satis conuictus, impressam quandoque, aut a natura, aut ab vsu rerum, menti nostrae ideam, vel in iplis scientiis tractandis, sufficere. Quodsi interea accidat, ut detecta rei definitio late patentem dicendi campum aperiat, atque recondita &, quae delitescunt, in lucem protrahat: tantum eo in casu abest, ut quaerentes eam in ius quasi trahi possint, ut potius laudem mereantur, eamque maximam. Atqui vero vitae notio eius indolis esse videtur. Quae enim, in vtraque Medicinae parte, de vita hominis, tam cognoscenda, quam conseruanda, proferruntur, his ferme debentur, quae vitae notio suppeditat. Nec facile licebit, errores, hic commissos, emendare atque effugere, ni notio habeatur, e qua aut affirmando aut reicienda dimetiantur. Tentabimus ergo, pro virium tenuitate, difficultimum hunc tam philosophiae, quam medicinae locum explicare. Mirari enim licet, in tanta viuentium frequentia, cumque nos ipsos non solum viuentes sentiamus, sed innumeris quoque aliis, quae extra nos posita esse deprehenduntur, vitam adsignare soleamus, huius definitio-

finitionem adeo magnis, & paene insuperabilibus difficultatibus premi.

§. III.

Omnis, quae de vitae notione proponi potest, quaestio ad duo momenta reddit. Atque *primo* quidem nouisse oportet ea, quibus vita *proprie* tribuitur: *dein* intelligere, quid sit id, quod rationem adscriptae vitae continet. Iam vero utrumque, in miro eruditorum diffensu, difficile dictu; atque inde, vel in tractationis limine, difficultas oritur atque odiosus labor. Quod *prius* enim spectat: satis quidem facile enumerari possunt ea, quae ad censem viuentium referuntur. Solemus scilicet, in media non solum vita, sed in ipsis etiam scientis, mercurio currenti, statuis & imaginibus, plantis & generatim vegetabilibus, animalibus, horum partibus corporeis, substantiis tam materialibus, quam immaterialibus, quid? quod vel ipsis horum praedicatis vitam tribuere. At enim vero non potest facile, in his exemplis, proprius vitae significatus ab improprio accurate semper distingui. Quamuis enim luculentiter quandoque (si plurimos sequaris) eluceat, his illis, ex praedictorum numero, vitam impropria tantum dicendi ratione adsignari, ut mercurio, statuis, cognitioni humanae; aliis contra ea proprie tribui, veluti animalibus, principiis sic dictis immaterialibus, interque haec animae praeprimis humanae atque illi, quod bruta dirigit, sentienti: attamen, quod caetera spectat, adhuc sub iudice lis est, nec facile definitur, an recte liceat vegetabilia, corpus animale huiusque partes viuentium numero accensere? Quod etiam principium alias in his rebus multum valet, usus scilicet loquendi, vix potest hic adhiberi, cum magnis Viris placuerit, in diversas abire partes. *Celeberr. BAVM GARTEN* (*Metaph. §. 430.*) omne, quod natura gaudet, viuens existimat, quando dicit: *In uitium naturae est ORIGO, duratio VITA, finis MORS;* quem vero latissimum vitae significatum Celeberrimo Viro paucissimi dabunt, cum sic vel ea corpora, quae vita destituta esse iudicantur, viuentia

viuentia nuncupari debeant. Placuit aliis, non nisi his vitam concedere, quae *principio*, quod dicunt, *immateriali & sentienti* instructa sunt. Vid. *Kants Träume eines Geistesforschers*, erläutert durch *Träume der Metaphysik* pag. 25. 26. *Celeberr. Carolus BONNET* vegetabilibus aperte vitam largitur (Betrachtungen über die Natur p. 25.); neque minus *Celeb. VOGEL* (prakt. Mineralsyst. pag. 3. §. 5.) & *WALLERIUS* in *Hydrologia*; quod vero alii negant (*HOFFMANNI Medic. rat. syst.* Tom. I. pag. 68.). *Illust. GAVBIUS* partes irritabiles manifesto vias iudicat, irritabilitatem vim vitalem nuncupavit, atque omnibus eam solidis C. H. inesse arbitratus est (*Instit. Path. medic.* §§. 169. 170. 175.); quae *HALLER* o autem minus placere videntur (*Element. Physiol. C. H.* Tom. IV. pag. 446. 464). Qui etiam cum *STAHLIO* vitae essentiam in conseruatione corporis a putredine, aut cum *HOFFMANNO* in motu circulatorio sanguinis ponunt, cuius corporis humani parti vitam tribuere tenentur, dictio nemque, qua sphacelo corruptae partes *mortuae*, intactae autem *viae* appellantur, sic interpretari, ut propria sit; cui certe hi assentiri nequeunt, qui nulli existenti vitam attribuunt, quod non immateriali principio dirigatur. Verum sat is ex his appareat, quam parum in vitae notione consentiant docti, quamque ideo difficuler ea ex loquendi vsu deriuari queat – *Alterum* dein, cuius rationem, in definienda vita, habere nos oportet, momentum, quodque superius secundo loco commemorauimus, non minori doctorum virorum dissensu famosum est. Si enim quaeras: quae sit vitae ratio & essentia? innumeras audies diuersas & passim sibi e diametro oppositas sententias. Quidam singulare principium vitale excogitarunt; alii animam aut aliud simile principium immateriale vitae fontem censuerunt; nonnulli nervis vitam insidere crediderunt; alii aut ad motum sanguinis, aut ad conseruationem corporis a putredine vitae essentiam reuocarunt; nec defuere, qui vel plantarum animaliumque incrementum, quod *assimilatione*, non *appositione*, vt quidem in fossilibus, perpetratur, sufficiens vitae signum esse docuerunt, vt eos iam missos faciam,

ciam, qui quemuis corporum motum vitae particulam arbitrati sunt. Confer. BONNET, KANT, HOFFMANN, VOGEL II. cc. STAHLII Dissert. de *Vita* pag. 19. EIVSD. Dissert. de *mort. theor. med.* pag. 8. BARCHUSSEN de *Medic. orig. & progr.*

§. IV.

Vt ex his nos extricemus laqueis: paullo curatius vitae ratio inuestiganda erit, atque id, quod rerum usus nos docet, omni opera attendendum. Observamus primo, his, quae mere possibilia habentur, vitam nullo modo tribui; quod quidem adeo certum est exploratumque, vt non existere & vita carere saepe iudicentur eadem. Neque solent Celebres Viri, qui *vitam* vel latissime extendunt, mere possibilibus eandem adscribere (§. anteced.). Atque licet fictarum historiarum scriptoribus hoc ipsum in laudem cedat, quando personas, quas fingunt, quaeque mere possibles sunt, adeo excellenter depingunt, vt vitam ipsis impertiant actionesque, id tamen exemplum aut similia his adferri in contrarium nequeunt. Vt enim de eo nil dicam, quod *vitae* vox saepe proprio tunc significatu usurpetur: eiusmodi personae tamquam *existentes* finguntur, in quas ergo vita eiusque attributa cadunt — Videmus porro, quiescentibus atque immotis, qua talibus, vitam proprie non adiudicari, verum his potius, quae mouentur, quaeque in actione constituta sunt; vt etiam eo eminentior vitae iudicetur gradus, quo maiores aut habentur, aut exprimuntur actiones motusque. Atque hinc forsitan explicatur, qua de causa factum, vt mere possibilia, quibus, sibi scilicet relictis, nulli motus competunt, vita desituta esse existimentur. Solemus quidem statuis & imaginibus, quas cultior ars protulit, viam adsignare; quod docere videtur, immota non adeo, vti quidem diximus, a vita distare. Sed facile patet, eiusmodi res *exprimere* motus actionesque aut animi aut corporis, indeque fieri, vt vita gaudere videantur. Ipsae mentis nostrae representationes, quo magis in dirigendis actionibus valent, aut quo potentiori animae vi enascuntur, eo ma-

B

gis

gis iudicantur *viuidae* atque sic porro. — Dantur interea, quae motus actionesque, quandoque non leues, exserunt, neque tamen ad viuentium numerum referri solent. Nempe 1) eiusmodi actiones & motus, qui externae tantum cuidam vi debentur, licet magni esse possint atque validi, non sufficiunt, vt illi, cui insunt, vita tribui queat. Sic lapis proiectus saepe insigni vi & potestate gaudet. Numquid ideo vitalis dicendus? 2) Nec vitam produnt actiones & motus, qui mere corporei sunt & materiales. Dum solidum quoddam concipitur, cuius partes cohaerent: actio simul elementorum, qua in se inuicem nituntur, cogitetur necesse est, eaque solido ipsis inhaeret, & interna salutari deberet. *Viuere* autem illud solidum, ideo dico nequit, cum descripta elementorum actio mere sit materialis atque corporea. — Est ergo *vita* conditio rei existentis, in quantum actiones exserit, quae a caussa interna, non tamen materiali profiscuntur. Vnde efficitur 1) nec vegetabilibus, nec mineralibus, nec corpori animali vitam posse proprie tribui; 2) vitam solummodo principiorum immaterialium s. sentientium esse praedicatum, hincque 3) nulli adsignari posse, nisi his, quae aut principia sunt immaterialia, a corporum vinculis plane libera, aut illis saltim diriguntur sic, vt principii immaterialis actio, tamquam interna, concipi queat; 4) repraesentationes & voluntatem, utpote actiones principiorum immaterialium, signa esse vitae, plenarium autem earum defectum signa mortis.

§. V.

Quibus iam positis, facile est, de vita hominis iudicare. Qui enim, cum ex anima constet & corpore, huic vero vita proprie adsignari non possit (§. anteced.): sequitur, animam humana, quae substantia & principium immateriale existit, veram esse vitam, quae homini inest, scaturiginem, nostramque vitam proprie debere ad mentem, quae nos dirigit, nobisque insita est, referri. Iam vero si concipias, animam seiuicetam esse a corpore, habebit illa suas repraesentationes, suaque voluntate gaudebit, & viuet

vivet (§. anteced.). Eiusmodi autem vita non poterit non ab illa, quam nunc viuimus, differre, cum vita *animae humanae* nequeat vita *hominis* dici. Quare nostra quidem vita debetur *menti*, sic tamen, vt corpus, quo instructi sumus, eius simul sit particeps. Quando vero vita representationes & voluntarias actiones poscit (§. anteced.): vita *hominis* haec sibi vindicabit 1) representationes & voluntatem, seu vitam animae; 2) coniunctionem mentis cum corpore arctissimam; 3) corpus aptum & proferendis representationibus, voluntariisque animae actionibus, & recipiens exsequendisque his, quae anima *aut* cogitat *aut* imperat. Vita itaque hominis, si fas sit ita loqui, *corporea* neruis innititur, in quantum scilicet *sentiunt*, *mutationes animae percipiunt*, *iusque eius*, *dirigendo voluntarios musculos*, exsequuntur. Sensatio ergo atque motus voluntarii signa vitae recte habentur, quamvis ex *apparente* eorum defectu, iisdem nempe, quod quandoque fit, infinite paruis existentibus, praefentia mortis nondum sequatur & colligi debeat. Quod reliquum est, cum innumeri nerui, vita permanente, sic affici queant, vt eorum deleatur actio, solo excepto sensorio, quod dicant, communi: hinc conficitur, *vitam hominis corpoream sensorio communi deberi, in quantum mutandae menti buiusque actionibus recipiendas par est.*

§. VI.

Functiones vitales Medicis dicuntur eae, quibuscum corpora vitae humanae pars *proxime* coniuncta esse deprehenditur. Ex theoria ergo, quam hucusque stabiluimus, functiones vitales ab animalibus seu illis, quae a commercio animae cum corpore proxime oriuntur, non differunt. Sunt tamen, qui circulum sanguinis & cordis, arteriarum atque respirationi dicatorum organorum motum hic referunt. Minus id quidem bene, cum his nequeat vita *proxime* adscribi (§. antec.). Obiici interea posset, embryonis corculum iam tunc pulsare, hincque vitam hominis cogitari posse, cum nerui nondum sint explicati. Verum apte, cre-

B 2

do,

do, responderi potest. Vel enim assumitur, mentem principiumque immateriale eiusmodi embryonem nondum inhabitare, quod probabile omnino videtur, atque tunc vita proprie adesse nequit (§. IV.), vel affirmatur, quod tamen a veritate paullo magis remotum esse censeo, maxime imperfecto isti embryoni mentem iam inesse eumque dirigere; quo certe in casu, cum sibi hominis vita animae in corpus actionem, haecque instrumenta vindicet, opus est, vt, nerorum loco, aliud concipiatur instrumentum, quo anima vtatur . . Quibus vero licet ita comparatis, fatendum tamen, circulum sanguinis & respirationem inter atque vitam, multo arctius connubium intercedere, quam quod hanc inter & alias functiones, quae naturales aut sexus vocantur, obseruatur; idque adeo certum est, vt non possit Medicus omnia indicationis vitalis momenta explere, ni illarum actionum rationem habeat. Quod patebit luculentius ex his, quae protinus de vitali vi dicam.

§. VII.

Si *vis vitalis* dicatur illa, a qua proxime corporea hominis vita profiscitur: nulla certe alia, quam *sensibilitas* sensorii communis eo nomine digna est (§. V. VI.). Postulat autem, Physiologia praeeunte, sensibilitas haec 1) sufficiens bene mixti fluidi nerui copia neruos replet necesse est. 2) elementa solida s. fibrae neruorum interna facultate debent gaudere, ab actione stimulorum in motum tremulum abripiendi. 3) nerui liberi sint a pressione externa. 4) situm habeant fibrae neruorum, naturali respondentem. 5) sanguis recte replet vas a neruorum, quae eorum cellulosam perreptant; hoc enim influxu minuto sensibilitas decrescit. Quare, quid poscat vis vitalis? vnicuicunque patere potest. Intelligitur quoque, quam multipli ratione, a circulo sanguinis & respiratione, vita humana pendeat. Atque haec de vita humana dicta sufficient.

SECTIO

SECTIO SECUNDA

DE

MORBIS ET CAVSIS VITAE PERICVLVM
MORTEMQVE INFERENTIBVS.

§. VIII.

Vitae periculum statum hominis ponit, sub quo metuendum, ne vis vitalis (§. VII.) destruatur. Nunc vero vis vitalis nervis infidet (§. citat.), exseritque se, dum sensorium communne sentit atque producendis motibus voluntariis par est (§. V.). Quare quo propius a plenaria insensibilitate sensorium commune absit, quoque id magis excitandis motibus voluntariis impar esse deprehenditur: eo magis vitae periculum imminent. Quando itaque in morbis *vel vniuersalis insensilitas, vel vniuersalis saltim sensibilitatis torpor, vel languor aut plenaria impotentia musculos voluntarios mouendi praesto* est: de vitae periculo dubitari nequit, pluribus praecipue eorum simul obseruatis. Quodsi contra ea, ne vllum praedictorum momentorum adesse deprehendantur: vitae quoque periculum in morbo obtainere non potest. *Mors denique bominis*, cum sit vitae corporeae absentia, deletam sibi sensorii communis tam sensibilitatem, quam musculos voluntarios dirigendi facultatem vindicat. Mortis itaque *momentum* difficulter, si vñquam, definitur. *Quis enim superstites forsitan infinite paruos sensorii communis motus obseruare, hincque eorum finem determinare potest?*

§. IX.

Ergo morbi, quos *vniuersalis insensilitas* comitatur, primam eorum constituunt classem, qui vitae periculum inferunt, mortisque metum iniiciunt (§. anteced.). Apposite dixi: *vniuersalis*. Quae enim topica quandoque & particularis insensilitas obserua-

B 3

tur,

tur, cum, *vel* immuni exsistente sensorio communi, *vel* absque eius eminente labore, contingere possit, vitae saepe periculo caret; neque umquam ergo huc referri potest, nisi metuendum simul sit, ne vniuersalis inde oriatur insensilitas. Plures autem sunt, quae vniuersali stipantur insensilitate, affectiones morbose. Apoplexia enim, affectus soporosi, syncope, catalepsis, epilepsia, tetanus vniuersalis, febres nonnullae huc reuocari debent. Quamuis vero hi omnes morbi vitae periculo numquam careant: possunt tamen pro rerum, quae circumstant, diuersitate, variis vitae periculi gradus constitui. Atque *primo* quidem, quo *maior* obtinet insensilitas i.e. quo potentiores sunt, qui non sentiuntur, stimuli, quo *frequentior* est & *diuturnior*: eo maius debet vitae periculum iudicari. *Dein* caussae insensilitatis respiciendae; quo enim *plures*, quo *grauiores* inueniuntur: eo minor spes a fulget, fore, ut morbus salutarem nanciscatur euentum. *Denuo* motus muscularis mutatio, connexa cum ista insensilitate, consideranda venit. Numquam enim vniuersalis insensilitas obicitur, nisi muscularum simul incidat mutatio. Quae vero cum valdopere differre possit, omissa etiam, quae alias attendi debet, illa diuersitate, quae a gradu desumitur, poterit etiam maius minusue vitae periculum apportare. Quodsi ergo insensilitati vniuersali comes se se adiungat *aut* languor, *aut* impotentia muscularis: maius tunc vitae periculum generatim imminet, quam eo in casu, ubi *vel* motus muscularis adaugetur, ut in epilepsia, *vel* virtus muscularis naturalis manet, voluntati tamen minus obedire obseruatur, quod catalepticis accidere solet. In his enim casibus minus generatim, quam in illo, vi vitali decessit. Quod caussas tandem huius insensilitatis attinet: ea fere ab his pendet: *a defectu lymphae & fluidi nervae*, prout in hecticis abinde quandoque contingit & illis, qui efferas patiuntur haemorrhagias; *a corruptione lymphae nervaeque fluidi*, quorsum vapores nocui, febres putridae & forsitan corrupta bilis, primis in viis residens, referri possunt; *ab inducta sensorio communi pressione magna*, siue nunc haec

haec a sanguine, siue ab alio fluido, siue demum a corpore solido pendeat; a rigore fibrarum, in sensorio communi enato, terani vniuersalis exemplo; vti enim musculus vere rigidus morueri nequit a caussis naturalibus: sic si similis status in nervis ortitur, hi insensiles euadant necesse erit; a summa sensorii communis relaxatione, prouti syncope docet; a nimis diu protracto motu viuido, sensorio communi semel inducto, quod in catalepsi obseruare licet; vt enim noua sensatio oriatur, requiritur, vt nouus in sensorio communi enascatur motus; hinc, si semel ipsi inductus motus nimis diu protrahatur & viuidus sit, stimulus applicatus mutationem quandam nequit sensorio communi inferre, aegerque insensibilis euadit; a peruerso fibrarum, sensorium commune constituentium situ, sicuti id in his vnicarum quandoque mortis caussa existit, qui capite versus parietes summa vi allidunt; ab impedito sanguinis motu versus caput (§. VII. n. 5.), quacunque etiam e caussa enato. Inde iam caussae remotiores, quae sane innumerae sunt, atque diffitas saepe a cerebro regiones occupant, intelliguntur & erui possunt.

§. X.

Altera istorum morborum (§. anteced.) classis eos sub se comprehendit, qui *insigni virium, fibris muscularibus nerueisque insitistarum, languore stipantur.* Namque istius modi morbi partim a caussis passim proficiscuntur, quas (§. anteced.) enumerauimus, partim caussae eorum, quaecunque etiam sint, insensibilitatem vniuersalem producere demum possunt, partim ipsimet, si augeantur, in vniuersalem abire solent insensibilitatem, partim denique generatim indicant, vim vitalem existere debilem (§. V). Enascitur vero insignis illa virium prostratio 1) a plethora, spissitudine, rarefactione & corruptione sanguinis & humorum. Fibras continentes, malignae, inflammatoriae, hec tiae exempla esse possunt; 2) a defectu lymphae & humorum, siue is ab inedia, siue a virium languore, siue demum ab efferis excretionibus & pro-

protractis laboribus productus sit; 3) a putrido bilene corrupta, primas replente vias; 4) a diurna et magna nervorum et fibra- rum muscularium in morbis actione. Hinc post epilepsiae paroxysmum obseruatur virium languor, hincque etiam fit, ut, superatis morbis graibus & diuturnis, is supersit; 5) a syncope, eiusque caussis; 6) a causis cerebrum comprimentibus, quorsum debilitas illa spectat, quae affectus soporosces comitatur; 7) a ri- gore nervis muscularisque inducto, ut in his, qui in decrepita aeta- te versantur; 8) a relaxatione nervorum & muscularum, quae in chlorosi praesens esse deprehenditur; 9) a respiratione magnopere laesa, quod catarrhus suffocatius & alia asthmata docent.

§. XI.

Vt causae, quae vitae periculum inferunt, luculentius ad-
huc intelligentur, hincque indicationis vitalis ambitus recte
perspiciat: iuuabit, illas, breui tabula descriptas, exhibere.

Vidimus (Sect. I.), sensibilitatem sensorii communis proxi-
mam esse vitae corporeae, quam homini tribuimus, causam (§. VII). Nunc vero in physiologia euinci potest, sensibilitatem nec soli fluido nerueo, nec soli substantiae nervorum solidae adscribi posse, sed ab utroque potius pendere sic, ut fluidum nerueum, sua elasticitate atque tenuitate, fibras nerueas ad motum tremu-
lum aptas reddat. Quare duplex potest vitae periculi causa sta-
tui. Oritur nempe

I. Vel ex vito fluidi neruei. Quod quidem fluidum hic peccat

a) quando quantitas eius nimis imminuitur. Quod evenit

- 1) si sanguis nimium excernatur, 2) si lympha nimium eva-
cuetur, 3) si amissa fluidorum quantitas, vel ob appetitus prostrationem, vel ob ciborum potulentorumque nutri-
entium defectum, vel ob virium concoctricum languo-
rem, vel ob nimis citam assumtorum euacuationem, vel
ob impeditum chyli ad sanguinem transitum non re-
far.

fasciatur; 4) si ob diurnos labores, vigilias, morbos fluidum nerueum nimium sit consumtum; 5) si motus sanguinis versus cerebrum, tamquam locum, cui secretio fluidi neruei debetur, contingere satis nequeat, ut in syncopticis atque his, quibus in inferioribus partibus effera contingit euacuatio; 6) si causa comprimens, quae serum, lympha, sanguis, tumor, vermis, calculus, os, ichor, pus &c. esse potest, cerebrum afficiat; 7) si maiora aut minima cerebri vasa secretoria ob rigiditatem nimis angustentur, aut euanescant; 8) si eadem vasa obstruantur in inflammatione, metastasi, cruditate lymphae; 9) si motus sanguinis per vasa cerebri rapidissimus sit, quo sit, ut nimis cito per venas refluat. Nonne hinc in quibusdam febribus acutis debilitatis incrementum nascitur? Nonne inde enormis caloris effectus summa debilitas erit?

b) Quando mixtio eius corrumpitur. Quod fit

- 1) ab halitu externo putrido, carbonum, multum fragrante;
- 2) a putrido, sanguini & lymphae inhaerente;
- 3) a venenis quibusdam, opio analogis;
- 4) a putrido forsitan & corrupta materia, primas replente vias;
- 5) a languore virium concoctricium.

II. Ex vitio solidae substantiae, sensorium commune eiusque fibras constituentis. Quae peccat

a) si nimium relaxetur. Oritur autem neruorum relaxatio

- 1) a diu continuata eorum & valida actione, quo quis de mun modo determinata;
- 2) a defectu lymphae nutritiae (i. n. a);
- 3) ab imminuta vasorum sanguiferorum, cellulosam neruorum perreprantium, repletione; hanc vero defectus sanguinis, deriuatio aliunde facta, motus denique sanguinis imminutus producunt;
- 4) ab aqua, muco & acri, neruos quodammodo soluente;
- 5) a magno calore.

C

b)

- b) si rigida euadat.* Quod si
1) a forti actione: quod muscularum exemplo illustrari potest,
qui, si intensissimam actionem exseruerint, saepe rigidi ma-
nent, nec flecti possunt; 2) a graui irritamento, ipsi ap-
plicato; 3) a vi cohaesioneis nimium adaucta.
c) si situs eius nimium a naturali recedat. Quod euenit a
cauſa externa violenta.
d) si fortiter comprimatnr (cf. l. n. a. b.).
e) si diu idem motus tremulus perduret, in sensorio communi
semel enatus (§. IX.). Intensa actio sensorii communis, &
graue irritamentum, quod, multiplici quidem ratione, ipsi ad-
motum est, eam videntur mutationem inferre.

§. XII.

Atque ex his, credo, sufficienter constabunt tam vitae pe-
riculi, quam mortis, gradu tantum ab illis diuersae, cauſae. Ne-
que desunt exempla (§. §. IX. X.), quibus potuisse, ad eas illu-
strandas, vti, ni ea, ex superioribus iam nota, assumi posse. Fa-
tendum interea, raro accidere, vt vna earum sola aut vitae pericu-
lum inferat, aut mortem producat; plerumque tunc plures inter-
se connexae adesse deprehenduntur. Neque diffitendum, quan-
doque contingere, vt non satis recte, quae praesto sit, cauſa sta-
biliri queat. Nouisse tamen eas oportet, vt indicationis vitalis ra-
tio perspici queat & enodari.

§. XIII.

Quod *signa* vitae periculi attrinet: non opus est, vt, in iis
recensendis, multus sim. Duo hic maximam attentionem meren-
tur, atque semper sufficiunt. *Primo* namque vitae periculum
eiusque magnitudo sponte patent ex his, quae §. §. IX. X. allata
sunt. *Dein* signa illarum cauſarum, a quibus vitae periculum ena-
scitur, signa simul erunt vitae periculi. Sic corporis emaciatio,
haemorrhagia effera, pulsus lentus, debilis, respiratio va.de dif-
ficialis &c. vitae periculum, plus minusue magnum, produnt.

SECTIO

SECTIO TERTIA

DE

INDICATIONE VITALI, EIVSQUE
INDICATIS.

§. XIV.

Medici est, bona quaevis, humanitati data, in quantum a corpore pendent, conseruare, restituere, mala similia arcere, immunuere atque abigere. Quae cum ita sint, atque vita omnibus reliquis, quae bona habentur, palmam facile praeripiat (§. I.): Medicum omnino oportet, de vita hominum corporeas conseruanda atque eius periculo, si adfuerit, tollendo cogitare. Duo itaque sunt, quae Medicis officium, quod vitam spectat, postulat. *Primo* namque vitam, quae illaesa existit, omnibusque, quantum esse potest, numeris absoluta est, conseruare; *dein* vero eam, quae laesa esse deprehenditur, emendare atque corrigere nos oportet. *Prius* impetratur, si regulae, quas Diaetetica praescribit, obseruentur simulque caueatur, ne violentae caussae externae in hominem, qui sanus esse putatur, agant; qua de re plura afferre, supercaenum est. *Posteriorius* autem duo sibi iterum momenta exsequenda postulat. Etenim (a) amissa a morbo caussaque morbifica vitae pars restituenda; *dein* (b) ea illius particula, quae superstes est, conseruanda venit. Poterit autem utrumque duplice ratione effici, respiciendo nempe vitae caussas *vel* proximiores, *vel* remotiores. Quis enim non videt, vitam conseruari, si caussa eius proxima aut proximiores omnes conseruentur, &, quantum potest, restitui, si amissa caussarum eius proximorum pars restituatur? Quis non intelligit, idem perpetrari, si caussae vitae remotiores tam conseruentur, quam, si perdite fuerint, restituantur? Hinc iam indicationis vitalis nascitur idea. Quae scilicet indicatio rationem habet vitae, sub morbo statu in periculum adductae, idque sic,

C 2

vt,

vt, in ea conseruanda restituendaque, proximiores tantum illius causas respiciat, *indicatio vitalis* nuncupari solet. Atque nemo facile hanc notionem in dubium trahet. Quod enim indicatio vitalis *vitae, tam conseruandae, quam restituendae, rationem habeat*, vel ipsum eius nomen prodit. Cumque Medici, in sano corporis statu, nullam soleant praedictae indicationis mentionem iniciere: ideo dixi, eam *vitae, sub morboſo ſtatu in periculum adductae, rationem habere*. Qui denique Therapiae generalis fundamenta tradunt, vitalem indicationem a causalī, therapeutica & symptomatica ſejungere ſolent; manifesto indicio, indicationem vitalem *proximiores* tantum, non remotiores *vitae cauſas* respicere, has enim ſi attenderet, modo cum cauſali, modo cum therapeutica, modo cum symptomatica demum indicatione confunderetur. Apposite autem dixi: *proximiores cauſas*, non proximam. Quando enim medici nutrientia ad indicata vitalis indicationis referunt: proximorem ſeu *antecedentem*, vt nonnulli loqui amant, *vitae cauſam*, non proximam attendunt.

§. XV.

Cum vita ſumnum aeftimetur hominis bonum (§. I.): hinc reſte affiſmatur, *indicationem vitalem omnibus reliquis prafervandam effe*. Quod quidem eo lubentius concedet quilibet, quo certius eſt, quod vires vitae minuendo morbo inferuant, atque ſa- pe, neglecta indicatione vitali, alia remedia fruſtra applicentur (LVDWIG *therap. gener.* §. 1339. n. 2.). Addunt alii, illam regulam enuncianteſ: Si indicatio vitalis cum aliis *vrgeat*. Quo quidem, arbitror, non opus eſt. Nisi enim indicatio vitalis *vrgeat*, i. e. vitae periculum adſit: de ea non cogitatur (§. anteced.) - . Complectitur autem iſta regula haec: 1) ſi indicationi vitali quaevis alia contradicat: hac omitta, illi ſatisfaciendum. 2) ſi indicatum aliud cuiusdam indicationis indicationi vitali repugnet: illud, licet in ſe ſpectatum vtile eſſe poſſit, usurpari non debet. 3) ſi indicatum indicationis vitalis alii cuiusdam indicationi e dia-



e diametro oppositum sit, illique aptius substitui nequeat: illud in vsum nos trahere oportet. 4) si ab vsu eorum, quae *necessario* indicatio vitalis postulat, damnum etiam, temporis mora, nascatur: eo non obstante, adhibenda veniunt. 5) indicationi vitali, quam primum fieri potest, satisfaciendum. 6) nulla indicatio, generatim considerata, tantum potest, quantum indicatio vitalis, vrgere -. Patet caeterum ex natura morborum, comparata cum indicatione vitali, non semper opus esse, vt in morbis ea formetur.

§. XVI.

Indicatio vitalis adimpletur, dum caussae proximiores vitae humanae, in quantum ea a corpore pendet, partim conseruantur, partim restituuntur (§. XIV.). Quare illius momenta & indicata eruuntur, quando remedia, quibus gaudet Medicina, comparantur cum caussis vitae periculi, quas §. XI. suppeditat. Quod quidem nunc tentabimus. Ergo

- 1) *Si fluidi neruei defectus caussa vitae periculi existat* (§. cit. n. I. a): opus est, vt pro rerum, quae circumstant, diueritate, adhibeantur
- 1) *quae corpus sufficiente laudabilem humorum quantitate repleant.* Sic enim sperari potest, fore, vt demum fluidum neruem, quantum opus, restituatur.
- 2) *quae, irritatione sua, sopitos excitant neruorum motus.* Atque plura quidem sunt, quae, ad laudanda ea remedia, hic dici possunt. Namque primo cum vitae periculum a minori generatim sensorii communis sensibilitate pendeat, irritantia remedia laudem merentur; dein nutrientia remedia, quorum modo mentio facta, nimis tarde quandoque operantur; ne aeger ergo interea moriatur, remedia requiruntur, quae vices fluidi neruei explere possunt, atque, eo nomine, nota sunt irritantia; neque minus praedicta remedia mo-

tum cordis arteriarumque, qui extinctus fluidi neruei quandoque defectum producit, excitant; denique accidit quandoque, ut ea remedia vel irritatione deriuationem humorum comprimentium a capite, vel, concussione corporis facta, eorum in cerebri vasis stagnationem discutiant. Nonnulla etiam humorum enormes calores restinguunt - .

Intelligitur quoque facile, irritantibus semper, nutrientibus vero interdum tantum opus esse, si, quam diximus, vitae periculi causa obtineat. Defectus enim fluidi neruei quandoque praesto est, licet reliqui humores sufficienter adsint, quid? quod abundant; quibus ergo in casibus nutrientium usus foret aut superuacaneus, aut etiam nocivus.

II. Si fluidi neruei mixtio corrupta fuerit (§. XI. n. I. b): haec indicantur

- 1) *Fugia loci, quem malignus vapor occupat.* Purior praeterea aer refrigerat quandoque & irritat, quod, eo in casu, admodum utile.
- 2) *Irritantia.* Vices enim corrupti fluidi neruei sustinent. Confer. I. n. 2.
- 3) *Nutrientia,* non facile corruptioni obnoxia.

III. Si vera sensorii communis & neruorum relaxatio obtineat (§. XI. II. n. a): haec utilia sunt

- 1) *Irritantia validiora.* Quae enim, cum fortius languidos stimulent neruos, spem excitant, fore, ut, ad tempus saltim, sopiti neruorum motus restituantur & augeantur.
- 2) *quae solidorum cohaesionem augent,* quaeque ideo in omni laxitate conducunt. Sed tardius irritantibus operantur, nisi chinam excipere velis.

IV. Si rigor sensorii communis adsit: cum fructu applicantur

- 1) *vel quae, specifica vi, enormes sponuent neruorum actiones, vel*
- 2) *Irritantia valida.* Licit enim, vel ex ipsa eorum actione, sequi videatur, eiusmodi irritamenta neruos in maiorem actione-

actionem abripere debere: cum tamen obseruatio doceat, quod, si neruis, in magno motu constitutis, applicentur remedia, quae illos concutiunt, hoc ipso valido motu eum deleri, qui antea existiterat: patet, quandoque posse irritantium usum in eo casu iuuare.

Quod *relaxantia*, quae sic dicuntur, remedia attinet: ea quidem primo intuitu conducere hic videntur, cum non solum spasmis medeantur, sed etiam verae rigiditati: at-tamen, cum nimis tarde operantur, vix quidquam iuuabunt, licet, cum innocua sint, cum reliquis adhiberi que-ant. In praecauendo autem eiusmodi rigore magni erunt usus.

V. Si vitae periculum oriatur *ab alienato per vim externam fibrarum sensorii communis situ* (§. XI. II. n. c): possunt equidem tam *irritantia generatim*, quam *deriuantia adhiberi*. *Illa* quidem, quod, si imprimis valeant corpus concutere, efficere forsitan possunt, ut congruus fibrarum situs restituatur, fere, ut videmus, musculum aliamque partem quandoque in suum redire, quem mutauerat, situm, quando validior suscipitur motus. *Haec vero*, quod violenta eiusmodi causa plerumque extrausationem fluidorum, cerebrum dein comprimentium, efficit. Vix tamen villes arridet, fore, ut illud vitae periculum tollatur, cum descripta remedia, licet potentia sint, caussa tamen, quae inducit vitae periculum, nimis videntur inferiora.

VI. Si *caussa comprimens* adfuerit (§. XI. II. n. d): si quid usquam iuuabunt

- 1) *Irritantia* ut nempe *partim* excitetur, graui stimulo, aeger, *partim* etiam discussio humorum stagnantium fiat (I. 2.).
- 2) *Deriuantia*. Copia humorum si cerebrum premat, de usu deriuantium facile constare potest. Quodsi autem alia quoque causa comprimens locum obtineat: ea ipsa tam

men

men vasa cerebri afficit, humoresque impedit, quo minus expedite suas vias transire queant. Quare tunc quoque deriuantia adhibeantur necesse est.

- 3) *Trepanatione*, aut alia rerum comprimentium eductione quandoque opus est.

VII. Quodsi demum vitae periculum perficiatur a motu sensorii communis, ipsi semel inducto, nimis diu continuato (§. XI. n. II. e): iuuabunt generatim

- 1) vel *irritantia*, quorum actione non raro fit, vt praesentes motus extinguantur, dum aliunde quasi diriguntur,
- 2) vel *specifica vi neruorum actionem consopientia*. Sic enim deleri potest is, qui insensibilem reddit aegrum, motus.

§. XVII.

Vt pateat, quam vere haec dicta sint, quamque egregie conspirent cum his, quae Praxis edocuit: per exempla quaedam liceat illa illustrare — . Ergo si quis effera haemorrhagia laboret, vt vitae periculum aut metuendum sit, aut iam adsit: praeter excitantia & irritantia ea usurpantur remedia, quae optimos succos restituere valent (§. anteced. n. 1). Quando in putrida febre, summa virium prostratio vrget, aut insensilitas adesse apprehenditur: irritantia externa internaque in usum vocantur, neque conuenientia negliguntur nutrientia (BOERHAAVE *Institt. med.* §. 1100); inque eo casu, vbi a malignis carbonum, opii, croci &c. vaporibus is insensibilitatis status enatus est, aegrum simul liberiori puriorique aëri exponere solent (§. antec. n. II). Quodsi porro adfectus v. g. soporosus a serositate hincque pendente laxitate neruorum productus sit: post irritantium usum confugiunt ad roborantia, vt laxitas inde tollatur: sicque etiam ob eandem causam, in summa, quam chlorosis infert, debilitate, martem, chinam usurpant (§. anteced. n. III.). In yniuersaliterano, vbi rigorem sensorii communis concipere licet, modo narcotica, modo irritantia commandant, vt aeger, eorum auxilio

xilio, ad se redeat (§. anteced. n. IV.). Si causa comprimens in apoplexia adesse concipiatur: irritantia, deriuantia applicare solent; quandoque etiam educere id quaerunt, quo comprimitur cerebrum (§. anteced. n. VI.). In catalepsi demum, fere ut in tetano, modo irritantia, modo narcotica utilia fuisse, obseruatio docuit (§. ant. n. VII.). Leuia haec exempla sufficient, ut exinde cuilibet veritas dictorum innotescat.

§. XVIII.

Qui hucusque allata attenta mente considerat, intelliget is facile, qua de causa factum, ut, qui generalem tradiderunt Therapiam, indicationis vitalis indicata ad *nutrientia* reuocauerint & *stimulantia*. Vid. BOERHAAVE *Institt. med.* §. 1095. seqq. LVDWIG l. c. § 1343. Generalem enim tractantes Therapiam oportet sic de indicatione vitali differere, ut, non omnia eius indicata recensentes (quorum scilicet usus in specialissimis tantum casibus valet, Therapiae, quam dicunt, speciali relinquuntur) ea solummodo tangant, quae vel in omnibus, vel in plurimis saltim vitae periculi casibus, adhiberi solent debentque. Quodsi nunc perpendantur §. XVI. dicta: non nisi sequentia indicata hue referri possent. I. *Nutrientia* (§. cit. n. I. II.). Atque sane *nutrientia* eo magis huc referenda veniunt, quo certius est, quod caussae vitae periculi, quas aut rigor, aut debilitas, aut nimis diu continuatus sensorii communis tremor ingenerat, a defectu laudabilium humorum oriri possint, ideoque late omnino eorum usus pateat. II. *Irritantia* (§. cit.). III. *Humores a capite deriuantia* (§. cit. n. V. VI.). IV. *Narcotica* (§. cit. n. IV. VII.). V. Quae vere *roborant*; utpote quae non solum utilia sunt ob dicta (§. cit. n. III.), sed ideo quoque, quod plena corporis nutritio ea, pluribus saltim in casibus, requirit. Reliqua §. cit. indicata certe, nec semper, nec plurimis in casibus locum inueniunt, ut trepanatio &c. Nunc vero roborantia cum nutrientibus coniungi solent (LVDWIG l. c. §. 1345), & deriuantia cum irritantibus

D

(IDEM)

(IDEM l. c. §. 1369.); narcotica autem cum iisdem combinari possunt, quando vulgaria certo certius cor & arterias irritant, Opii exemplo, & quae alias irritantibus adiunguntur, vt Ambra, Camphora &c. (LVDWIG l. c. §. 1368. BOERHAAVE l. c. §. 1112.) quandoque anodynā vim exferunt. Praeterea vero, quod maximum est, roborantia, deriuantia & narcotica plurimis in casibus vitae periculi adhiberi posse dici nequit (§. XVI.). Quandoque etiam, si vsū pari possent, eorum usui status aegri insensibilis repugnat, quod de narcoticis valet. Sic ergo Therapia generalis, considerans indicationem vitalem, non nisi haec tradet indicata I. Nutrientia & II. Irritantia. Opus nunc est, vt de his paullo exactius differamus, strictius tamen illa eorum momenta considerantes, quae ab aliis iam pertractata sunt.

§. XXIX.

Nutrientia dicuntur remedia, quae id, quod corpori decessit, cuiusque restituzione opus est, reparare valent. Atque sic corpori decedunt tam *fluida*, quam *solida*. Quare nutrientia ea debent continere, e quibus, vi corporis nostri, laudabiles humores beneque constituta solida parari possunt. Iam vero humores nostri, e quibus reliqua parantur, constant ex aqua, oleo, sale & terra, intimius inter se inuicem mixtis, ipsaque etiam solida nostra ex iisdem particulis, aqua tamen minus abundante, confusa sunt. Quaevis itaque nutrientia, qua talia, vel ex aqua, oleo & terra, strictius inter se connexis, vel ex oleo saltim terraque, intime mixtis, composita esse debent; omissis, in ea consideratione, tam sale, vtpote nutriendo corpori impari, quam aqua, oleo & terra, in se spectatis, cum nec fluida nostra, nec solida vnice ex aqua, aut oleo, aut terra commixta esse deprehendantur. Licebit autem duplē stabili nutrimenti, que dixi, speciem; prout scilicet vel ex vegetabili, vel ex animali petuntur regno. Vtramque magna intercedit differentia. Nutrientia enim, quae regnum animale suppeditat, facilius corpus non solum replent, sed maius etiam illi, ac vege-

vegetabilia, *robur* addunt; praeterea ab aestu & motu facillime acria euadunt animalia, indeque sit, vt putridum, biliosum, rancidum augeant, quibus vegetabilia potius resistunt; illa quoque aestum conciliant maiorem dispositionemque ad statum inflammatorum, si generatim spectentur; haec vero temperant potius minuantque id, quod proprius ad statum inflammatorum accedit; deinde animale nutriens verum oleum, vegetabile contra ea oleum quidem non raro, plerumque tamen mucilaginosi quid, oleosi vices sustinentis, in se continet. Nutrientia caeterum recensuerunt BOERHAAVE l. c. §. 1097. seqq. inque *Mater. med.* passim, LUDWIG l. c. §. 1349. quibus addi possunt alia, cuilibet facile nota. Notandae etiam sunt regulae, in eorum vsu generatim obseruan-
dae, ab iisdem Autoribus stabilitae. Conf. LUDWIG l. c. §§.
1317. 1318. 1351.

§. XX.

In sano corporis humani statu, praeter haec (§. XIX.), nulla alia nutritionis media requiruntur. Dum enim robore valet corpus: nutrientia recte usurpata, sive vegetabilia sint, sive animalia, in naturam, quod dicere amant, humanam commutantur facile. Quodsi etiam parata sic lympha nutriens deferatur ad solidas partes, iisdemque apponatur: vel ipsum praefens partium robur sufficere potest, vt appositus lymphalis humor in solidam abeat partem. Atque sic omnia nutritionis momenta (§. anteced.) perficiuntur optime. Quando vero status morbosus nutrientium exponit usum: longe alia ratione sese res habet. Tunc enim languent iam vires, quacumque demum ex causa id fiat; sive contingit, vt nutrientia nec recte coqui, nec in solidas facile queant abire partes. Ex quo duo sunt, quae consequuntur. 1) necesse est, vt nutrientia ingerantur, coctionem facilem admittentia (LUDWIG l. c.); & 2) nutrientibus debent, si indicatio vitalis ea postulat, ea jungi, quae prostratas vires excitant. Laudem itaque hic merentur, quae cohesionem solidorum augent, blandiusque adstrin-

D 2

gunt,

gunt, a BOERHAAVIO iterum in Materia medica aliisque descripta, idque ideo, quod *partim* cohaesioneis vis, in defectu boni humoris, languet, *partim* etiam praedicta remedia mutationem lymphae in solidam partem adiuuant, quod alterum erat nutritionis momentum (§. anteced.). Cum tamen vis nervea & muscularis non minus langueant in eo, quem dico, casu: sequitur, remedia, quae has vires aequae, ac vim cohaesioneis augent, laudem tunc mereri maximam. China hic eminet.

§. XXI.

Liceat nutrientibus hanc addere considerationem. Non raro accidit, ut vel in his morbis, qui indicationem vitalem, nutrientium usum, adimplendam esse suadent, singularis quedam pars, v. g. pulmo, prae caeteris, nutrienda veniat. Nonne in eo casu summae posset utilitatis esse, si generalioribus nutritionis remedii ea iungantur, quae nutriendae singulari isti parti praecipue pares sunt? Concedet id, credo, quilibet; verum dubitare posset: an umquam id liceat momentum exsequi? Quidquid autem aliis ea de re statuere placeat: quid ego sentiam, aperte pronuntiabo. Notum est, cuilibet parti compositae singularem esse naturam datum, a reliquarum partium indole & natura distinctam. E quo consequitur, lympham nutriendae eiusmodi parti destinatam, eiusmodi indolis esse debere, ut facilius in hanc potius, quam in aliam partem mutetur. Enimuero non facile concipitur modus, quo fiat, ut lympha in adeo diuersas abeat solidas partes, ni statuatur, aduchi iam ad quamcumque solidam partem lympha, ab ea, quae reliquias nutrit, distincta. Nonne exinde suspicari licet, partes, ab animalibus desumptas, eo facilius partem nostri corporis nutritre posse, si ipsis quodammodo respondeant? Nonne plebis inde sententia, qua phthisicis brutorum pulmones commendantur, quodammodo corroboratur? Negari equidem nequit, eiusmodi brutorum partes reedere adhuc ab his, quae corpori humano insunt; non deest tamen similitudo, saepe fatis insignis.

§. XXII.

§. XXII.

Sed missis iam nutrientibus: de irritantibus nonnulla afferam. Accidit quandoque, vt insensilitas vniuersalis adsit; quo in casu nutritia, licet nonnumquam indicentur, adhiberi sola nequeunt, cum partim lentius, quam opus est, agant, partim etiam aeger, extra se raptus aut diffici laborans deglutitione, ea nequeat assumere. Tunc ergo remedia indicantur, quae facultate gaudent, neruorum fibrarumque muscularium motus celerrime restituendi. Atque haec vocantur *irritantia*. Duplex eorum constituitur species. *Vel* enim grata quadam sensatione neruos afficiunt, *vel* non. Illa *analeptica*, haec *stimulantia* dicuntur, recensita a LUDWIGIO & BOERHAAVIO ll. cc. Usurpantur interne & externe. Usus eorum externus maximus est, & multiplex.

§. XXIII.

Atque sic scriptiunculae huic finem imponere licebit, cum, quae dicenda superesse videri possent, ab aliis exposita esse intendantur, inque Therapia generali fusius explicitentur. Restat tantum, vt hoc adiiciam. Indicatio vitalis proximas tantum respicit vitae periculi caussas (§. XIV.), easque missas, in se spectata, facit, quae remotae dicuntur. Nunc vero, si proximas tantum affectuum morbosorum caussas respiciamus, facile fit, vt *vel* morbosus affectus plane non tollatur, *vel* cum augmento caussarum remotarum. Quare in exsequenda indicatione vitali Medicum cauere oportet, ne eiusmodi, quantum potest, indicata eligat, quae grauius vitae periculum inducere possent. Exempla ubique obvia sunt.

DIGNISSIMO DEIMANNO

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER

FACVLTAT. MED. SENIOR.

*M*irifice me delectauit vtile & elegans argumentum, quod conflictui publico exponis, & quo ipso luculentissimum eruditissimae, apud Nos acquisitiae, exhibes documentum. Haec TVA, DIGNISSIME DEIMANNE, ut aliarum litterarum, ita Medicinæ peritia TE reddit cariorem, & Patriæ optimæ optimum promittit ac commendat ciuem. Ex quo enim tempore TIBI libuit, me duce, in excolenda, quae ad Medicinam & Chirurgianam pertinet, vti doctrina, mihiique TECVM, in exercitiis clinicis, frequentior ac iucunda semper occurrit consuetudo; tam ingenii TVI alacritatem, & industriam, quam ardorem & impetum quasi in addiscendis scientiis, iunctis insimul praeclaris animi virtutibus & ornamentis, non satis aestimare potui, saepiusque in votis habui, vt plures laudabili TVA virtute & inclarescendi cupiditate incitarentur. Aequum igitur esse iudico, cum ob infirmam valetudinem TE ad cathedram ducere haud potuerim, vt, abiturum TE, piis non minus votis, quam publico quoque testimonio vitae, inter Nos cum laude morumque probitate peractæ, dimittam, TIBIQUE de prospere studio successu deque summis, quibus Ordo noſter digniores exornare solet, Honoribus, gratuler vereque gratuler, persuasus sane, talem TE in actu disputatorio praefiteturum, qualem non in consuetis solum examinibus, sed & in subsellii opponentium frequentius exhibuiſſi, quemque exoptauimus omnes. Macle itaque virtutibus, studiis, honoribus, felix in patriam redi, morborum age dominorem, & de meo in TE semper propenso animo dubitare noli. Vale, SVAVISSIME DEIMANNE! & me semper, quod facis, ama. Dabam in Reg. Frid. d. XXI. April ccccclxx.

IO-



IOANNI RUDOLPHO DEIMANNO

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO CANDIDATO

AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

M. LDOVICVS MARTINVS TRÆGER.

Cum semper te, ut scis, mirifice amauerim, tibi quidem facile hoc persuadeo, cumulari me maximo gaudio, quod te iam adscendere ad eum locum videam, ubi summi, qui Medicis haberit solent, tibi decernentur honores, tibi, mi DEIMANNE, qui, si vllus, tu sane Candidatus dignissimus es. Quae enim in multis desiderari solent, modo ingenium, modo diligentia, modo in litterarum studii diligentia & perpetuitas, modo humanitas & modestia, haec tanta in te per omnem vitam academicam conspicua fuisse, boni, qui te norunt, omnes iudicabunt, vt, quod ad ipsa ornamenta in iuuenie litterarum studio potuisse accedere, nihil eius quidquam abs te absuisse videretur. Inprimis vero, quod ad medendi artem uberrimum est, diligenter faciliterque curasti illud, vt arti TVAE philosophiam iungeres, illud minime ignorans, neruos atque artus esse medici, nosse philosophiam. Ac recte illud quidem, cum ipsa medicorum doctrina nihil aliud sit, quam forma aliqua & pars philosophiae, scilicet non mentitiae istius, umbratilisque & sterili philosophiae, quae, ut inania ac inaudita verba crepat plurima, ita veritates alt paucissimas, sed verae huius atque amabilis sapientiae, quae, inuentrix & magistra veri, vitam hanc gubernet, nutritatque immortales animos, innixa experientia, qua ipsa recte uti & summa philosophia est, & summa Medicina. Ex quo scientiarum vinculo illud etiam accidisse vides, vt inde ab antiquissimis temporibus optimi quique medici, ipse Hippocrates, Galenus &c. se prosterentur Philosophos, Philosophi contra, vt Pythagoras, Democritus, ac postea in primis Arabes, oblectarentur Medicorum studiis. Quare hanc unicam tibi, AMICISSIME DEIMANNE, commendabo, si modo, quam adhuc sponte amasti, & dum viues, amabis, tibi commendare fas est, philosophiam cum arte TVA semper copulandam. Ita profecto genus humananum atque adeo TE IPSVM optime custodies, reipublicae insigne decus, amicorum, quibus & me annumebras, gloria & deliciae. Vale. Halae a. d. XVIII. April. MDCCCLXX.

Nach Schneegestöber und Frost baut jetzt in sprossenden Wäldern
 Die Nachtigall das jährige Nest.
 Schon taumeln Zephirs vom Hügel hinab zu saatvollen Feldern,
 Und Flora schmückt sich zu Majens Fest.

Nur um mich her ist Nacht! Mit schwarzen Fittig umschwebet
 Melancholie mein eisern Geschick!
 Mein fesselndes Zimmer ist Grab! Raum, daß mein Geist sich hebt,
 So schleudert Schwermuth ihn wieder zurück!

Und Du, mein Deimann! Orest! in einsamen Krankentagen
 Für mich Freund, Eltern, Arzt und Welt!
 Du erntest Ruhm jetzt ein; ich aber hauche Klagen,
 Daß Ohnmacht mich heut zurück hält!

So hab ich denn nicht den Trost, Dich auf dem Katheder zu segnen?
 Wo Meditrine den Kranz Dir flieht?
 Doch, Freund! mein Geist ist im Hörsal. Denn, könnte Dir was begegnen,
 Und sympathetisch empfänd ich es nicht?

Mein Deimann! Ruhm sei Dir! Nur laß mich meinem Kummer,
 Der lähmenden Krankheit nicht allein!
 Führ mich zu den Meinen zurück! – da, bis zum Todeschlummer,
 Solst Du mein Lieblingsgedanke seyn!


Du wendest das Antlitz weg? Freund! schäme Dich nicht zu weinen,
 Tyrannen und Teufel nur sind hart.
 Ach! würd ich Dir nur nicht last! – Wie dank ich es Dir und den Deinen,
 Daß ich es so traurige Jahre durch ward!

Komm! führ mich! Dir winkt Dein Ruhm, und stärkt meine bebende
 Glieder,
 Mein Mentor auf Elb und Nordsee bist Du.
 Gott segne Dich, Busenfreund! drück einst die Augenlider
 Des sterbend Dir lächelnden Jüttings zu!

Johann Gerhard Jüttting,
 aus Leer in Düssriesland, d. h. G. G. Best.

6018

RCA



4

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**INDICATIONE VITALI
GENERATIM.**

QVAM CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

PRORECTOR FRID
VIRO ILLVSTRI, EXCELLEN
D O
FRIDERICO CHR

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
FACVLTATIS ME
PAEDAGOGII REGII AC ORP
PRACTICO

G R A D V
SOLEMNITEI
DIE XXIII. APR
H.
PUBLIC
AV
IOANNES RVDO
FRISO - C
LITTERIS

